



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Occasio peccati mortalis quæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

bus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odijs, ac detractionibus versantur quotidie, & confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies: Idem faciendum est cum ijs scil. ut differatur absolutio, qui cum multos annos in peccatis suis perdurant, nulla interim adhibita opera in emendationem vitæ in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Deinde, nec eos absoluat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vita-re planè non proponunt. Porro cùm è re Confessarij vel maximè sit, ut quæ snt ex occasione perspicuè sciatur, paullò de illis loquemur distin-ctius hoc loco.

Occasio peccati mortalis quæ.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eò quod huiusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel eius occasione confi-tens usque adeo ad peccandum alicitur, ut certè Confessarius metuere possit, quod ex peruerso, quem diu induit, habitu in posterum non magis abstinebit, quam prius à peccato, si in eisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scil. suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi: aleis ludere, cùm mortaliter certo, vel probabili periculo animarum; domum tenere in hunc finem alijs paratam; aliquam, cum qua sit peccatum, vel apud se, vel apud alium, suo rogatu fouere, vel quocunque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano con-gressu

gressu, & similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque si pœnitentem ijs, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsa que occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa existat, veluti quod concubinam alit, vel quid huiusmodi, Confessarius eum absoluere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In alijs verò, ut in Venereis aspectibus conversari periculosè cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuncium remittere non polliceatur, vel si spondeat, alias tamen, cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendauerit, absolutionem differat, usque eodam emendationis quædam argumenta videbit.

At verò cùm usu venire possit, ut ex omnibus, quæ solers ac circumspctus Confessarius excoxitauerit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur pœnitens absque periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere, utatur Confessarius his vijs.

Remedia contra peccati occasiones.

Primò absolutionis beneficium eò usque extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè, si absolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionē, promptitudinemque suscipiendo omnia, quæ pro eius emendatione necessaria confessarius iudicabit, quo tempore remedia huiusmodi pœnitenti proponer, quæ magis opportuna, magisque necessaria apparebunt: verbi gratia, præscribit ei, ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes

Ff 7 augeat.